



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,  
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae  
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

**Carleton, Thomas Compton**

**Antverpiæ, M.DC.XCVII.**

Disput. XV. De Composito substantiali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)



tiam; in ratione termini producti, concedo. Per aliam ergo unionem informationis uniri non potest suo subiecto, sicut nec actio alia actione produci, sic enim daretur processus in infinitum: ut terminus tamen productus subiret legem aliorum terminorum, & effectuum, & sicut producitur per actionem distinctam ab agente, sicut illi, ita & unitur subiecto sustentationis per passionem a se distinctam. Unde si diuinitus existeret actio generativa formae ignis sine unione informationis (quod multi putant

posse contingere) non esset in eo casu ignis, nec paries foret albus si non haberet aliam unionem albedo, praeter meram actionem educitivam, si in compositis etiam accidentalibus dicatur distingui unio seu inhaerentia ab actione educitiva, quod mihi videtur probabilius, saltem in non vitalibus. Actio proinde educitiva dici potest radicalis unio informationis, id est, petens formalem, non tamen est formalis unio informationis.

Vnio accedens dicitur distinguatur ab eorum educatione.

# DISPUTATIO XV.

## De Composito substantiali.

### SECTIO PRIMIA.

Utrum Compositum distinguatur a partibus simul sumptis.

I. Totum non distinguitur a partibus simul sumptis.

**C**onclusio: Compositum substantiale non distinguitur a partibus simul sumptis seu unitis. Ita S. Thomas 1. p. qu. 1. ar. 2. ad 2. & q. 75. a. 4. corp. & 4. cont. Gentes q. 8 r. Suar. d. 36. l. 5. P. Hurt. d. 6. phy. l. 1. P. Arriaga d. 5. l. 1. Rub. 1. Phy. t. 39. q. 1. P. Oviedo c. 5. Phy. p. 1. n. 2. Tol. Murcia, & alij: & videtur expressa mens Aristotelis 8. Met. c. 6. in hoc distinguens totum per aggregationem, quale est acervus lapidum, a toto per se uno, quale est lignum, lapis &c. quod illud nihil addat supra partes simul sumptas localiter, hoc verò aliquid aliud superaddat, nempe unionem, & nihil aliud, ergo iuxta Aristotelem compositum non distinguitur a partibus unitis.

II. Conceptus partibus compositis constituitur compositum.

Ratio a priori est, quia posita materia & forma inter se unitis, omni alio secluso, intelligitur compositum, aequè ac posito Petro ac Paulo in gymnasio intelliguntur illic esse duo homines, ergo non est opus aliquo alio, nec potest intelligi quid aliud sit totum, aut nova illa entitas, in qua ponunt nonnulli rationem totius. Conf. totum substantiale duo dicit, alterum pro materiali, nempe partes, alterum pro formali, compositionem scilicet, seu unionem, ergo his positis, aequè intelligitur totum, ac posita albedine in subiecto intelligitur album, seu concretum accidentale, ergo positis partibus & unione, intelligitur tota ratio formalis constitutiva compositi substantialis, ergo intelligitur compositum, ubi enim est tota essentia rei, est ipsa res. Conf. secundò, posita unione inter partes intelligitur unitam formaliter, ergo compositum formaliter, ergo nullo alio superaddito est opus, nec esse aliud potest in quo consistat compositum. Conf. tertio, illa entitas in equo v. g. quam volunt esse distinctam a partibus unitis, vel est simplex, vel composita, non primum, est enim implicatio in terminis ut idem sit, compositum, & omnino simplex: Deinde materia & forma equi non essent partes illius compositi, seu equi. Non secundum, quia tunc haberet suas partes distinctas a materia, forma & unione, ergo de illis idem posset fieri argumentum, & sic in infinitum.

Entitas illa distincta nec potest esse simplex, nec composita.

III. Probatur seorsim ex definitione hominis.

Secundò probatur: definitio physica hominis est, quod sit quid constans ex materia & anima rationali unitis. sed hoc nihil aliud est quam materia, anima rationalis, & unio illas connectens, ergo homo nihil aliud est quam haec tria. Conf. id quod superadditur his tribus, vel est de essentia hominis, vel non: si

non, ergo illa tria sunt tota essentia hominis, ergo totum compositum; si sit de essentia hominis, ergo illa non est perfecta hominis definitio, utpote quae non convertatur cum definito, nec explicet totam quidditatem rei. Conf. secundò, nam illud totum produci deberet actione aliqua, nec enim esset a se, ergo crearetur, nec enim educi potest ex potentia alicujus subiecti, cum non sit forma.

Totum illud a partibus unitis distinguendum debet creati.

Nec praeter materiam, formam, & unionem requiritur aliqua alia integritas, vel totalitas quam volunt aliqui superaddi, positis enim materia, forma, & unione, nihil aliud requiritur ad totalitatem & integritatem compositi, & si quid adderetur, de eo formari posset idem argumentum, vel saltem de materia, forma & unione simul cum illo. Unde nec derivatur aliquod aliud esse substantiale in materiam a forma, ut vult Vasquez To. 1. in 3. p. d. 19. n. 29. sed positis his tribus intelligitur totum quod requiritur ad essentiam completam & integritatem compositi substantialis, ut compositum substantiale est.

Opinio P. Vasquez circa compositum.

In contrariâ sententia sunt Scotus, Cajetanus, & alij apud Conimbric. 1. Physica. 2. qu. 1. ar. 1. qui eam etiam amplectuntur. Obijciunt ergo hi auctores primò, est quae intricatissima difficultas in hac materia.

V. Opinio Scoti, Cajetani, Conimb.

Causa adaequata distingui debet ab effectu, sed materia & forma unitae sunt causa adaequata compositi, ergo debent distingui ab illo, alioquin essent causa sui, quia secundum nos ipsa sunt compositum. Retorqueo argumentum, quicquid adversarij ponunt in composito praeter haec tria, est pars aliquo modo constitutiva illius, ergo unà cum materia, forma, & unione illud constituit causam adaequatam compositi, & tamen non distinguitur compositum a materia, forma, unione, & illo superaddito, ergo tam debent ipsi solvere hoc argumentum, quam nos, nisi forte dicant, his tribus positis resultare quasi effectivè tertiam aliquam entitatem, quam vocant compositum, quod est intelligibile, & contra rationem causandi causae intrinsecae, qualis est materia, forma, & unio. Impugnatur praeterea tertia haec entitas argumentis omnibus supra factis. Deinde, tertia illa entitas quae est homo, vel includit animam rationalem, vel non: si includat, ergo anima est pars illius constitutiva, sicque redit prior difficultas, si non includat animam, ergo anima non est de essentia hominis.

VI. Argumentum difficile. Retorquetur argumentum.

Impugnatur alterius tertiae sententia.

Ad argumentum ergo Resp. primò distinguendo minorem; materia, forma, & unio sigillatim & distinctivè sumptae, sunt causa compositi, concedo minorem; simul & copulatim sumptae, nego. Sic enim non sunt causa compositi, sed ipsum compositum; utroque autem modo sunt a parte rei.

VII. Resp. primo argumento supra factis.

Hec



VIII. Hæc solutio est utcuque probabilis, gravem tamen patiur difficultatem, partes enim sigillatim seu distributive sumptæ non distinguuntur realiter à partibus collectivè sumptis, cum ergo partes collectivè sumptæ non sint causa compositi, nec erunt illius causa partes sumptæ sigillatim, alioqui eisdem entitatibus à parte rei idem physicè, & realiter conveniret, & idem physicè & realiter non conveniret.

IX. Resp. itaque secundò, probabilius videri non posse dari causam unam adæquatam intrinsecam respectu compositi, sicut potest dari causa adæquata extrinseca respectu tam compositi, quàm cujusvis alterius effectus producti. Ratio est, nam ipso facto quodd intelligantur partes collectim & per modum unius, intelligitur ipsum compositum, nihil autem potest naturaliter esse causa sui.

X. Quamvis ergo singulæ partes à se invicem adæquatè distinguantur, & inadæquatè à composito, utraque tamen simul sumpta nullo modo distinguitur à toto, nec distingui potest, cum tradendo se constituent compositum, unde ipso facto quodd sit utraque conjuncta, est compositum, & in hoc differt causa intrinseca & extrinseca. De quo iterum redibit sermo infra d. 22. f. 2. n. 1.

XI. Tertiò responderi possit, non esse inconveniens concedere, causam adæquatam intrinsecam non necessariò distingui realiter à re causatâ, cum totum non sit propriè effectus illius, nec causa adæquata propriè in illud influat, nec enim causa intrinseca est propriè causa, cum verum influxum non habeat: proinde cum dicitur conceptum causæ esse ad aliud, intelligi debet de eo quod est propriè causa, qualis non est causa intrinseca, saltem adæquata, & copulatim sumpta.

XII. Objicies secundò; Compositum est unum, & ejus productio una, ergo distinguitur à partibus, hæc enim à duabus actionibus producuntur. Distinguo, est unum simplex, nego; unum compositum, concedo: productio autem ejus dicitur una, vel aggregatione, vel ratione unionis, quæ in quovis composito substantiali est tantum una.

XIII. Objicies tertiò, Aristotelem 5. Met. ca. 14. dicentem, sex non esse bis tria, sed semel sex, ergo totum distinguitur à partibus. Conf. 7. Met. c. 17. ait syllabam Ba non esse has litteras A & B. Ad argumentum dico, loqui c. illo 14. Aristotelem de distinctione numerorum inter se, & ait numerum senarium non esse bis tria, seu duos numeros ternos, sed unum senarium, seu constantem sex unitatibus, non seorsim, sed simul sumptis. Ad Confir. facilior est responsio, solum enim vult syllabam Ba non esse litteras A & B. seorsim aut inverso modo sumptas, sed simul, & recto ordine dispositas.

SECTIO II.

In quo subjecto recipiantur accidentia.

I. Dico primò: quantitas non recipitur in toto composito, sed in solâ materiâ tanquam in subjecto, in formâ autem nec partialiter: ita P. Suar. d. 14. Met. f. 3. nu. 43. Conimb. 2. de generat. c. 4. qu. 4. ar. 1. P. Hurt. disp. 6. f. 6. §. 4. P. Arriaga d. 5. Phy. f. 2. nu. 13. contra quosdam, quos sequitur Vasqu. To. 2. in 3. p. d. 129. Rubius de Generat. cap. 4. t. 3. q. 8. n. 187. & alij nonnulli.

II. Ratio conclusionis est primò, quia quantitas, licet subiectetur in solâ materiâ, adhuc præstabit omnia munera ad quæ ordinatur, nempe denominabit formam

extensam, & totum compositum quantum: sicut secundum omnes, denominat formas accidentales, ut albedinem, dulcedinem &c. quantas & extensas, licet in illis non subiectetur. Sic etiam albedo denominat totum hominem album, & volitio volentem, licet subiectetur illa in solâ materiâ, hæc in solâ animâ.

Propriè tamen loquendo, totus homo non est subjectum albedinis aut volitionis, sed solum cum restrictione, nempe subjectum denominationis, sicut nec albedo, aut ulla qualitas est extensa, vel quantitas propriè loquendo, quia hic est effectus proveniens à quantitate, tanquam à formâ, sed solum dicuntur accidentia extensa ad extensionem subjecti, quia scilicet diversæ partes quantitatis recipiuntur in diversis partibus subjecti quanti & extensi, sicque sunt accidentia quanta quasi concomitanter, non formaliter.

Secundò probatur conclusio à priori: quantitas est dispositio ad formam substantialem materialem, ergo non subiectatur in illâ, nec partialiter, cum prius naturâ sit quàm illa, ac proinde ut sit, non potest pendere ab illâ à priori. Antecedens constat, nam agentia naturalia non possunt agere, & consequenter nec producere formam substantialem, vel accidentalem, nisi in subjecto quanto & extenso.

Quod de quantitate dixi, à fortiori dicendum est de aliis accidentibus, calore, frigore, siccitate &c. nempe non subiectari in formâ, seu toto composito, sed in solâ materiâ. Quando autem S. Thomas & Aristoteles dicunt accidentia esse in toto composito, intelligendi sunt esse in eo ut in subjecto denominationis, licet subiectentur propriè in solâ materiâ: sicut homo dicitur cæcus à cæcitate quæ est in solo oculo.

Dices, prius unitur materia formæ quàm quantitati. Distinguo, prius dignitate, id est, præcipuè & ordine intentionis, concedo; prius executione, nego.

Dices secundò; quantitas & accidentia sunt proprietates totius, ergo recipi debent in toto. Nego consequentiam, ad hoc enim sufficit ut recipiantur in alterâ ejus parte, sicut homo est ægrotus, licet solum caput doleat. Deinde, quantitas non dicitur proprietas totius, sed proprietas & passio materiæ, & illi coævâ.

Dico secundò: probabilius viderur, licet non sit ita certum, reliqua accidentia absoluta, ut qualitates materiales, quales sunt calor, frigus, albedo, &c. recipi in solâ materiâ tanquam in subjecto, & non in quantitate. Ita P. Hurt. d. 6. Phy. f. 6. §. 5. P. Arriaga d. 5. Phy. f. 2. n. 37. & alij plurimi, licet contrarium teneat P. Suar. d. 14. f. 4. & alij.

Probatur primò, munus accidentium est dispo- nere subjectum ad receptionem formæ substantialis, sed quantitas non est subjectum nec partiale quidem formæ substantialis, sed sola materia, ergo dispositiones sunt in solâ materiâ quæ disponi debet immediatè physicè ad formam quam immediatè recipit. Et licet responderi posset sufficere ad rationem dispositionis, ut sit in quantitate, quæ est in materiâ, longè tamen perfectiùs disponitur, si dicantur accidentia illi inesse immediatè. Conf. sicut munus quantitatis est disponere materiam ad formas, & operationes materiales, & ad alia accidentia materialia, reddendo illam extensam, & impenetrabilem; ita munus primarum qualitatum est partim disponere ad secundas, sed secundæ non propterea dicuntur recipi in primis, ergo nec primæ nec secundæ propter hanc rationem recipiuntur in quantitate.

Nec argumentum contra hoc ducitur ex mysterio Eucharistiæ, nempe nisi subiectentur accidentia

Probatur conclusio primò.

III. Totus homo non est propriè albus, nec ulla qualitas propriè quanta.

IV. Ratio à priori, cur quantitas subiectetur in sola materia.

V. Albedo, & alia qualitates non recipiuntur in forma.

Mens S. Thomæ, & Aristotelis.

VI. Materia prius dignitate unitur formæ quàm quantitati.

VII.

VIII. Calor, frigus, & alia qualitates non recipiuntur in quantitate.

IX. Probatur qualitates non recipi in quantitate.

XI.



*Sacramentum Eucharistiae*  
*in quo memoriam fecit mirabilium suorum misericors & misericor Dominus, dum nimirum Escaam dedit timentibus se. Imò huic sententiae favere videtur Concilium Constantiense, sess. 8. ubi definitur, accidentia panis manere in Eucharistia sine subjecto, qua de re late dictum est d. 12. sec. 3. Quòd licet contrarij interpretentur de subjecto remoto, nempe substantia panis, Concilium tamen loquitur absolute, sicque conformius ad verba Concilij intelligitur de omni subjecto; ac proinde non sunt in quantitate tanquam in subjecto. Quamvis non negem valde probabile esse hæc accidentia subjectari in quantitate.*

*Quantitas in sacrosancta Eucharistia est alba tantum denominative.*

*Secundæ qualitates supponunt primas.*

*Aliud de dispositionibus moralibus, aliud de physicis.*

in quantitate sequi plurima multiplicatum iri miracula, tot scilicet quod sunt diversa accidentia: Nec enim est cur refugiamus in illo mysterio miracula, in quo memoriam fecit mirabilium suorum misericors & misericor Dominus, dum nimirum Escaam dedit timentibus se. Imò huic sententiae favere videtur Concilium Constantiense, sess. 8. ubi definitur, accidentia panis manere in Eucharistia sine subjecto, qua de re late dictum est d. 12. sec. 3. Quòd licet contrarij interpretentur de subjecto remoto, nempe substantia panis, Concilium tamen loquitur absolute, sicque conformius ad verba Concilij intelligitur de omni subjecto; ac proinde non sunt in quantitate tanquam in subjecto. Quamvis non negem valde probabile esse hæc accidentia subjectari in quantitate.

**XI.** Dices; quantitas in Eucharistia est alba, frigida &c. ergo subjectantur hæc accidentia in quantitate. Nego antecedens, si proprie loquamur: licet etiam accidentia illa sint extensa, non tamen hoc habent ex eo quòd subjectentur in quantitate, sed quòd cum illa penetrantur commensurative per suam ubicationem, & extensionem ad locum. Nec ex eo quòd materia non possit recipere calorem, frigus, & cætera accidentia sine quantitate, sequitur propterea illa subjectari in quantitate, sicut nec sequitur formam substantialem in eadem subjectari, licet sine quantitate materia non sit proxime apta ad eam recipiendam: sicut etiam secundæ qualitates, ut albedo, dulcedo, &c. non recipiuntur in primis, calore sci, frigore, &c. esto hæc ad illas necessario in subjecto præsupponantur, non minùs quàm dispositiones ad formam substantialem, in quibus similiter non subjectatur.

**XII.** Dices secundò; dispositiones sæpè sunt in uno subjecto, forma verò ad quam disponunt, in alio: ut actus intellectus disponit ad actum voluntatis, visio ad appetitionem, actus meritorius in voluntate ad gratiam in animâ, actus peccati ad expulsionem gratiæ, & alia hujusmodi, ergo licet accidentia disponant ad formam, non est necessarium ut sint in materia, sed possunt esse in quantitate. Ad duo ultima respondetur primò, solum esse dispositiones morales, moventes sci. Deum ad dandam vel tollendam gratiam, de quibus dispar esse potest ratio, ac de dispositionibus physicis physicè subjectum disponentibus ad formam in eo recipiendam, ac propterea debent dispositiones physicè esse in subjecto disposito. Resp. secundò generaliter de omnibus illis simul, recipi omnia in eodem subjecto in quo formæ ad quas disponunt, nam & illa & formæ recipiuntur, etiam immediatè in substantia animæ, ut suo loco dicitur.

**XIII.** Hæc quidem probant debere necessario qualitates seu dispositiones recipi immediatè in materia,

quam disponunt ad formam substantialem: si tamen quis diceret ita recipi immediatè in materia, ut tamen recipiantur simul in quantitate, sicut actus intellectus subjectantur immediatè in intellectu & in animâ, non facillè convinceretur. Dicit tamen posset materia sola recipere alia accidentia, ac recipere potest quantitatè. Deinde non est cur dispositiones recipiantur etiam partialiter in quantitate, cum forma ad quam disponunt, nec partialiter in eâ recipiantur. Præterea sicut secundæ qualitates non recipiuntur in materia, & simul in primis, ne quidem partialiter, licet primæ disponant aliquo modo & prærequirantur ad secundas, ita accidentia nec partialiter recipiuntur in quantitate, esto ad illorum receptionem in materia necessario prærequiratur quantitas, & materiam quodammodo ad illorum receptionem disponat.

Contrariæ tamen sententiæ sua maneat probabilis; ita enim hanc probo, ut illam non improbem, ob auctoritatem præsertim S. Thomæ, qui in illa opinione esse videtur.

Quæres utrum unio sit de essentiâ compositi substantialis? Respondetur affirmativè: primò, quia est ipsa forma compositi quæ talis, compositum enim quæ tale dicit pro formali compositionem, seu unionem, non minùs quàm album albedinem. Deinde, essentia Petri non est anima & corpus quomodo-cunque, seu in actu primo, sed anima & corpus unita, & in actu secundo conjuncta ad faciendum unum totum, & Petrus essentialiter est quid compositum, non est autem compositum formaliter nisi per compositionem & unionem.

Utrum autem unio dici debeat pars compositi necne, quæstio videtur de nomine: Si enim per partem intelligatur quicquid physicè & realiter ingreditur constitutionem compositi ut aliquid illius, certum est unionem esse partem, nec Angelus videns partes & non unionem, videret totum hominem. Si autem per partem intelligatur rigorosè pars, sicut cum dicitur homo constare duabus tantum partibus, materia sci. & formâ, sic unio non est pars, cum non habeat se ut quod in constitutione hominis, sed ut quo partes illi dantur, estque quasi integritas utriusque partis. Sicut actio non est id quod vel agit, vel producitur, sed id quo agens agit, & quo effectus producitur. Unde unio vocari potest pars ut quo, seu ratio per quam partes constituuntur actu partes.

Disputant hic aliqui, darine possit corpus simplex. Sed quæstionis hujus discussionem differam in libris de Cælo d. 3. ubi quæri solet, an cæli de facto sint Corpora simplicia, vel composita ex materia & formâ.

*Rationes cur qualitates nec partialiter recipiantur in quantitate.*

*XIV. Probabile tamen est qualitates recipi in quantitate.*

*XV. Unio est de essentiâ compositi.*

*XVI. Num unio dicenda sit pars compositi, necne, is est de nomine.*

*XVII. Darine possit corpus simplex discutitur in libris de cælo disp. tertii.*

Finis libri primi Physicorum.

DISPUTATIO XVI

De Naturâ.

**L**ibro primo egit Aristoteles de Principiis intrinsicis, seu partibus compositi naturalis, tum in se, tum in ordine ad compositi constitutionem: nunc hoc secundo libro agit de Prin-

cipiis extrinsecis ejusdem compositi, vel etiam de intrinsicis, non ut constituunt compositum, sed ut ordinantur ad motum, ut disputationum decursu constabit.

SECTIO II